COMMENTARIA MEDICA

INAUGURALIA

DE

QUIBUSDAM IMPUBERUM MORBIS.

COMMENTARIA MEDICA
INAUGURALIA
DE
QUIBUSDAM
IMPUBERUM MORBIS;

QUÆ,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BOOTH FREER,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOD. EXTR.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

Primùm, dum parentes fabri liberûm sunt, et fundamentum Liberorum substruunt, extollunt, parant sedulò infirmitatem.—— PLAUT. *Mostellaria.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1806.

JACOBO GREGORY,

MEDICINÆ PRACTICÆ IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI,

VARIA DOCTRINA,

MORUM MANSUETUDINE

ET

ANIMI SINCERITATE,

CONSPICUO;

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA CUM OBSERVANTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

JOANNI POWER,

APUD *BOSWORTH*,

IN COMITATU *LEGECESTRIENSI*,

FELICITER ARTEM MEDICAM

EXERCENTI,

OB

AMOREM FERE PATERNAM,

ET PRÆCEPTA IN STUDIIS

AMICISSIME OBLATA,

HOC OPUSCULUM

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRUM VULT

J. B. FREER.

COMMENTARIA MEDICA

INAUGURALIA

DE

QUIBUSDAM IMPUBERUM MORBIS.

Vix vitale lumen primum aspicimus, priusquam innumeris morborum generibus obnoxii sumus. Quantis non vexantur malis infantes! quantis non videmus pueros conflictari morbis! "qui formam quam-" vis pulchram corrumpant, vires frangant, "singulas corporis actiones impediant, cor-" pus sæpè gravibus doloribus excrucient *."

 Nobis

---

* Gregorii Conspect. Medicin. theoret.

Nobis itaque consilium est in commentariis sequentibus, paucis disserere, de quibusdam impuberum morbis.

In hac nostra ætate, desidia, luxus et vitiorum omnium lacrymabilis ordo, sensìm sese insinuaverunt, èaque (ni fallor) quasi venenis insidiosis imbuta, hominum animos corporaque molliêrunt: medici igitur est pro virili sua parte, omnia hæc mala quasi ex radicibus evellere, et nullo certè tempore, quàm in pueritia dum semina tantùm morborum existunt, meliùs ea oppugnare potest; tametsi semina morborum comprimere valdè exoptandum, etiam eo tempore hoc quàm difficile sit! ægri enim tenelli et adhuc imbecilli de suis morbis rogati, nec respondere, neque signis ullis nisi vagitando et quibusdam aliis doloris obscuris, malè se habere, ostendere possunt: præter hæc impedimenta, ipsa sanè permagna, alia etiam e præjudicio matrum et nutricum cumulantur; medicamentorum enim farrago inutilis, plurima ex opio præparata, qualia, *syrupus e meconio, elixir paregoricum,*

cardiacum

cardiacum Godfreanum, etiam liquores meraciores, condimenta, multaque hujusmodi venena, ad querelas infantum compescendas, in promptu servantur.

Ad ætatem autem infantilem, quædam propria, nobis memoratu satis digna pertinent: enimverò per menses quosdam partus humanus, quàm animalis cujuspiam progenies infirmior, et magis indigus est; itemque si corporis, inter se partes comparemus, quàm dissimilem rationem sibimet eas tenere videmus? genus enim glandulosum, corporis magnitudinis ratione, quàm in adultis, amplius est; hinc copia magna salivæ, muci, bilis, et omnia hujusmodi, quæ in ventriculum, intestinaque assiduè excernuntur: Bilis tenuior, et alii humores, ratione habitâ, plurimùm variant; urina *acidi benzoici* copiam majorem, *phosphatis calcis* minorem, quàm in virili ætate continet. Motus cordis arteriarumque velociores, respiratio crebrior, calor major, satis oculis patent; arteriæ plerumque centies, vel etiam centies vicies, in sexagesima horæ

horæ parte vibrant, ex irritamine vel levissimo multò sæpiùs.

CAP. I.

DE MORBORUM CAUSIS A VICTU ET VESTITU.

Oriuntur morborum infantilium ante et post partum causæ; ante partum, matris animi motus vehementes, intemperantia, desidia, morbi, vini et liquorum meraciorum usus nimius; post partum, frigus, cibi pravi, nutrices moribus pravatæ: illis longi, his acuti morbi præcipuè nascuntur.

Infans non nisi lacte matris per mensem primum, vel secundum, dummodò mater lactare potest, si non, nutricis alendus; tunc pane sine fermento aquâ vel lacte madefacto, parcè sumpto; dein, circa mensem quintum, carnis tenerrimæ exiguâ quantitate, vel jusculo; et quò magis ætate, et viribus crescat, eò majore; postremò

postremò mensem ad nonum vel decimum a lacte depellendus; itemque cavendum est, ne nutrix aut mulierculæ vinum, condimenta, vel potiones meraciores infanti ministrent, itemque ne vescatur cibis pravis, inter lactandum, mater seu nutrix. Quod ad vestitum, prospiciendum est, ut neque nimis calidus, nec tenuis, arctus nec laxus, sed medius quodammodo inter omnia: et vestitum ex panno laneo tenui, aliis longè præstare opinor. Utile quoque erit cœlo sereno, infantem multùm sub dio exerceri; nebuloso verò, sub tecto: itemque totum ejus corpus benè perfricari.

Mihi persuasum est, morbos infantiles oriri, præsertim actionibus glandularum, et vasorum secernentium in viis alimentariis, vel malis cibis, vel facinore nutricium mercenariarum, turbatis; quibus tormina, febres, nervorum distentiones, et alia graviora ferè accedunt. Plurimæ irritationes, et morbi intestinorum, cerebrum ipsum seriùs ocyùs afficiunt; quin et leviores irritationes, diuturnæ

si

si fuerint, quàm multò graviores at fugaces, magis solent nocere; ita ut infantibus hydrocephalus, chorea, comitialis morbus, &c. adultis melancholia et mania, hoc modo, superveniant.

CAP. II.

DE MECONII RETENTIONE, LACTEQUE PRAVO.

Infantes aliquando brevi post partum, clamoribus, crurum contractione, ructu, singultu, vigiliis, vel somno peturbato, ictero, et nervorum distentionibus, se malè habere ostendunt: plerumque ex retentione meconii, vel lacte tenui, vel acri, aut nutricis nimiâ lactatione exhaustæ, hæc excitantur mala.

Si morbus, ex retentione meconii oriatur, olei ricini, vel mannæ solutionis, drachmam, quartis horis, donec alvus soluta fuerit; etiam

etiam in alvum, ex parte inferiore, avenæ decocti, cum oleo aut sapone commisti, uncias quatuor tantùm dari necesse erit; quod si ex lacte malo vel corrupto, alvus fusa, cum dejectionibus, acribus, subviridibus, aut pallidis, vomitu, torminibus ventris, et inflatione adsit, denique infans flavescit tabescitque: adversus hoc malum, granum unum alterumve, *submuriatis* hydrargyri, vel oleum ricini, ut suprà dictum, bis vel ter in septimana dandum, donec alvus naturalis facta fuerit; etiam si tormina urgeant, cochleare misturæ, ex potionis *carbonatis* calcis unciis duabus, pulveris ipecacuanhæ granis tribus, tincturæ opii guttis sex, ter indies dare proderit: quinetiam adhibenda carminativa, et cibi glutinosi, præcipuè ex pane sine fermento, aquâ, cocto confecti; et omnia acria acidaque evitanda. His omnibus nihil proficientibus, locum nutricemque mutare conveniet.

CAP.

CAP. III.

DE DENTITIONE DIFFICILI.

Nunc de morbo acuto dicendum est, ex quo enascuntur mala plurima, et tam diversa inter se, ut causâ non manifestâ cujus partis fuerint, haud facilè dici possit: interdum enim adest febris ardentissima, interdum chorea; aliquando tormina sævissima, cum alvo nunc strictâ nunc fusâ; modò epilepsia, et nervorum distentiones; aliquando variæ illudent species, quas nominare difficile foret. Circa mensem sextum ad decimum ex partu, dentes per gingivas, primò *incisores*, dein *canini*, et postremò *molares* erumpere incipiunt, quo tempore miseri tenelli affectibus variis et plurimis, crucientur; etenim dentitioni superveniunt, salivæ fluxus, gingivarum pruritus, et inflammatio insignis, aliquando ad genas extendens, vesiculæ, vomitus, super cutem eruptio, alvi profluvium, cum aliis gra-

vioribus

vioribus suprà dictis, quæ in mortem non raró desinunt. Si alvus fusa sit, et salivet modicè infans, fausta portendunt; at si alvus stricta, majus erit periculum; et igitur ad medicamenta quæ leniter alvum solvunt, confugiendum est; ut ad oleum ricini, cujus drachma, vel mannæ, aut *phosphatis sodæ* solutionem, cujus drachmæ duæ, pro re nata sumendæ sunt. Quod si tormina, et dejectiones subvirides urgeant, misturæ drachmam ex magnesiæ, et rhei radicis pulveris, singulorum granis triginta, pulveris ipecacuanhæ granis quatuor, aquæ menthæ piperitæ unciâ et semisse, syrupi semuniciâ, commistis, quartâ vel sextâ quâque horâ assumere conveniet. Præter hæc, si nervorum distentiones molestiam facessunt, opii tinctura, gummi-resinæ ferulæ assæ fœtidæ, ammonia, cum aliis hujusmodi, ut res postulet, addantur. Si chorea autem, vel quivis alius affectus gravis accedat, quàm primùm gingivas, scalpello incidere oportebit; si incisio parùm prosit, morbus ratione quam infrà describemus curandus erit.

CAP. IV.

DE CYNANCHE TRACHEALI.

Inter omnes affectus qui infantum vitæ insidiantur, nullus, ex quo tot signa, tam citò periculosa quot Cynanche Tracheali ferè solent, scilicet quâ nisi summâ ope medicâ incolumes præstantur, intra horas quadraginta octo, plurimi infantes, priùs sanissimi, pereant. Haud multis ante nostram memoriam annis, hoc dirum atque triste malum medicorum attentionem sibi vindicare cœpit: et dubitare non possumus quin priusquàm Homeus naturam ejus detexit, tenellos plurimos abstulisset.

Infantibus qui nondum quatuordecim impleverunt annos cynanche trachealis, inter ver, vel autumnum præsertìm, accedit. Interdum ante morbi accessum, duos tresve dies

ægrum

ægrum tussis sicca, et febris lenis adgreditur; sequitur, sæpissimè noctu, quibus tenellus ex somno repentè expergiscitur, strangulandi sensus; et æger spirare, sine sono, et anhelatione non potest; nunc caput, vel dolet, vel gravatur, corpusque omne, at præcipuè facies, rubet caletque; spiritus difficilè trahitur, cum sibilo seu raucitate: præter hæc, tussis stridula, quasi per tubum æneum fieret, crebra valdè urget; pulsu arteriarum evadente frequente, magno plenoque; lingua et fauces albidâ materie mucosâ obteguntur: tum, inter tussiendum, materies tenacissima, aliquando figuram ramorum asperæ arteriæ referens, expuitur: Morbo etiamnum increscente, respiratio tremula est, pulsus inordinatus, intermittens, dein deficiens, et quò gravior morbus urget, eò fit debilior et celerior: mox vultus contristatur, et faciei circum labia pars pallet, dum colore purpureo tinguntur genæ: postremò nasus acutus fit; anima adhuc difficiliùs ducitur, quæ testantur omnia ad vitæ jam extrema ventum esse.

Pueri

Pueri qui hocce morbo semel laboraverunt, posteà eidem valdè obnoxii sunt; itemque vel ex corporis habitu, aut situ, sive humido, vel sicco, vel ex causis nondum quidem cognitis, liberi ex quibusdam familiis, quàm aliis, huic morbo magis opportuni sunt. Ab omnibus morbis aliis, sibilo et voce stridulâ raucâque, præcipuè inter tussiendum vagiendumque, facilè distinguitur.

Naturâ morbi tot signis planè indicatâ, quænam remedia illi maximè conveniant facilè intelligetur. Præsentissimum auxilium est, sanguinem e venâ mittere, tum vomitum excitare, et alvum solvere. Balneum quoque haud raró multùm profuit. Igitur sanguine misso, pulverem, vel vinum ipecacuanhæ, cum antimonio, sextante horæ interposito, dare oportet, donec æger vomere cœperit; dein jalapam vel oleum ricini, cum *submuriate* hydrargyri, omni horâ, donec respondeat alvus: prætereà, si urget etiamnum spirandi difficultas, hirudines sub mento, et circa fauces externas admovendæ, earumque

que morsus calidâ aquâ fovendi, itemque emplastrum meloës vesicatorii inter scapulas imponendum. Nonnulli medici laudant in hoc morbo magnam vim *submuriatis* hydrargyri; alii radicis polygalæ senegæ et corticis daphnes mezerei decoctum; alii moschum, alii gummi-resinam ferulæ assæ fœtidæ, alii ætheris sulphurici vapores; sed hæc puto convenire solummodò in morbo hujusmodi longo, cujus historiam accuratam nunquàm legi, nec vidi: contrà, inter eos qui morbo implicati fuerunt, puerum vidi formosum, tres annos natum, qui noctu repentè correptus, sanguinis detractione, vomitione, alvi purgatione, et balneo, tribus horis liberatus fuit.

CAP.

CAP. V.

DE HYDROCEPHALO.

Nonnulli morborum, ætate nostrâ monstrant sese, veteribus, neque descripti, nec intellecti: inter eos est Hydrocephalus; qui modò acutus per se incipit, modò longus ab aliis morbis originem trahens; frequentiùs ætate puerili, quàm adultâ, pueris imbecillis, quàm robustis, accidit; cujus hæ notæ sunt: —Capitis dolores, maximè circa frontem vel tempora; nausea, vomitus, horrores leves, sub vespere aucti, oculi lucis impatientes, pupillâ contractâ, inter dormiendum dentium stridor, vigiliæ, jactationes, clamores repentini, alvus adstricta, calor auctus, pulsus crebrior, dolor capitis gravior cum vomitu alternans, aliquando cum mentis alienatione; aliquantò pòst, dilatatâ sensim pupillâ, strabismus et stupor superveniunt, et æger ex uno

duo

duo se videre putat; spiritus difficillimè redditur; pulsus abnormes et posteà innumerabiles evadunt, calore non aucto; manus ad caput crebrò elevantur, oculorum caligo, coma, faciei suffusio, subsultus tendinum, et sæpè ante mortem nervorum distentiones vehementes.

Quodcunque, solito plus sanguinis ad caput mittit, malum hocce in pueris excitare potest; quamobrem, in primis morbi gradibus, verisimile mihi esse videtur cerebri inflammationem.

Signa ex vermibus in intestinis sunt adeò similia iis, quæ in hydrocephalo fiunt, ut facilè dignosci non possint: Quoniam verò ab aliis irritationibus in intestinis, ita fortassè a vermibus in iis nidulantibus, hic morbus oriri potest. Ergo protinùs sub initium, jalapâ et *submuriate* hydrargyri purganda est alvus; et si morbus acutus sit, et nulli vermes expulsi fuerint, quàm primùm hirudines, vel cucurbitulæ cum ferro capiti admovendæ,

aut

aut e brachio sanguis mittendus; neque minus in diætâ parcâ, et alvi purgatione frequente, auxilii est; itemque oportet in cubiculo frigido ægrum servari, refrigerantibus capiti admotis.

Hactenus de acuto vel primo tempore morbi dictum fuit; humore verò in cerebro jam effuso, alia medicamenta adversus dirum morbum adhibenda; ideòque applicanda emplastra meloës vesicatorii, nuchæ, et pone aures, ibique diutiùs solito veteranda sunt; alvus sæpè et leniter movenda, et omni nocte, vel etiam bis indie, unguenti hydrargyri drachmæ duæ benè infricandæ, donec saliva fluere incipiat: si ne hæc quidem profuerint, eliciendæ scintillæ electricæ ex capite, et emplastra acria capiti applicanda, itemque scilla maritima, tinctura digitalis purpureæ, et vinum ad vires ægri refocillandas, danda, sic ut auxilium petatur, ab omnibus quæ vasa lymphatica excitent, ut per ea humor effusus resorbeatur.

CAP.

CAP. VI.

DE CHOREA.

Malum hocce, licèt grave et molestum, raró lethale est. Pueri et puellæ ab anno decimo ad decimum quartum vel quintum, huic morbo maximè proclives sunt. Infantes aliquando ex dentitione vel humoribus alvi vitiatis, aut aliis irritationibus, eo vexantur. Priùs veró quàm chorea sese ostendit, adsunt debilitas, vertigo, præcordiorum anxietas, et nervorum distentiones leves; vultus pallescit, aut flavescit; interdum abdomen tumescit. Nunc morbus gravior fit; pedis crurisque musculi, motibus convulsivis occupantur; tunc brachii et manus, deinde faciei, colli, et aliarum partium vehementibus inordinatisque afficiuntur; interdum os torquetur, et lingua subitò ore extruditur; modò artus, vel singuli, vel omnes simul, repentè

 subsiliunt,

subsiliunt, tremuntque; nunc huc, nunc illuc musculis jactati; balbutiunt demùm ægri, vel ferè obmutescunt, et haud raró prorsùs fatui fiunt, et inter ambulandum, pedes potiùs trahunt quàm tollunt. Cibi fastidium plerumque accidit sub morbi initium, quamvis aliquando naturale, vel auctum est cibi desiderium: somnus et pulsus naturales sunt; graviore facto morbo, perturbati et pulsus debiles.

Igitur cùm morbus ex debilitate, aut irritamine, aut utroque, ut magis verisimile est, conjuncto, oriatur; protinùs si vermes, aut fæces, obduratæ acresque, intestinis inesse videntur; si venter quoque tumescit, grana duo ad quinque *submuriatis* hydrargyri, cum pulveris convolvuli jalapæ granis aliquot commista, quotidie, secundum vires corporis, et colorem vel naturam stercoris, dare expediet, itemque vinum rubrum Lusitanicum, aquâ dilutum, vel merum, ad vires ægri sustinendas. Si morbus verò ex debilitate aut inanitione enascatur, catharticum lene cum *submuriate* hydrargyri,

hydrargyri, semel vel bis, posteà roborantia, uti, præparata ex ferro, zinco, cupro, cum myrrhâ, cinchonâ, et amaris, idonea sunt; et quando convalescit æger, gestatio, et in frigidam descendere, proderunt.

CAP. VII.

DE PERTUSSI.

Medici uno consensu hunc morbum a contagio oriri existimant; tamen Græci, Romani, et Arabici auctores vel omninò eum ignorâsse videntur, vel quasi tussis gravioris speciem habuisse; neque bonam historiam ejus ante Sydenhami tempora habemus.

Morbus a tussi levi, languore, capitis gravidine, lumborum dolore, rigoribus et horroribus ferè sub verspere auctis, invadit: paucis diebus gravior fit, et æger tussiendi accessionibus repentinis vehementibus, longisque, cum

sono

sono inusitato inter inspirationem corripitur, quæ perstant donec æger evomat aut spiritum vix trahere possit. Interdum sanguis e naribus, interdum ex ore vel auribus, erumpit; nonnunquam vultus nigrescit, et æger ad terram quasi attonitus cadit. Pueris et adultis rarò periculosus est, infantibus verò, præcipuè inter dentiendum, periculosissimus: Morbus autem longior est in autumno, quàm vere, maximèque si accesserit, hieme appropinquante; tunc ferè per hiemem totam durat; morbo perstante, pituita abundat, quæ sub initio parca est.

Medicorum sententiæ quod ad medendi rationem, multæ et diversæ fuerunt: nonnulli ad remedia roborantia, alii ad oleosa, alii ad evacuantia: cum illis, Etmullerus, Heister, Willesius, Cheyne; cum his, Sydenhamus consentit; cui hæc verba sunt, "Phlebotomiâ et repetitâ catharsi, eâque solâ, expugnatur hæc tussis." Eadem autem ratio, meo judicio, omnibus nequaquam convenit; modò enim medicamentis secundum

vires

vires corporis moderatis, opus est, modò secundum signa et morbi vehementiam.

Emeticum, sub initium morbi, ex vino ipecacuanhae plerumque proderit; itidem si pituita molesta sit, semel vel bis in septimanâ id repetitum; etiam tertiâ quâque aurorâ semunciam solutionis *phosphatis sodæ* saturatæ, itemque pilulam ex *submuriatis* hydrargyri grani dimidio, et quadrante opii, omni nocte sumpta, non sine fructu vidi: si tussis valdè urgeat, mistura ex mucilagine gummi mimosæ Niloticæ tenui, cum tincturâ opii camphoratâ et syrupo pro re nata composita, efficacissima erit.

Viribus morbi debellatis, diæta lauta, et nutriens, cum roborantibus, utenda est. Quod si difficultas spirandi adsit, emplastrum meloës vesicatorii, vel picis Burgundicæ, inter scapulas admotum, etiam loci mutatio, et lac assininum, juvabunt.

CAP.

CAP. VIII.

DE STRUMIS.

Labii superioris tumidi fissura, glandularum tumores, duri, inæquales, raro dolentes, strumæ signa prima sunt: juniores vero pulchri et formosi, cute pellucida, tenuique, agressui hujus morbi maximè opportuni videntur: menses vel annos hi sine inflammatione aut incommodo manent, et paulatim ante annum decimum quartum sponte decedunt. Oriuntur, præcipuè in collo, alis et inguinibus, sed lateribus, etiam mammis, oculorum orbitis, et locis ubicunque glandulæ conglobatæ reperiuntur: interdum febres lenes movent, et materiam sero-purulentam continent; sine multo dolore, aut inflammatione, iterum iterumque suppurant, erumpunt; denique a superficie corporis, suâ sponte tantùm evanescentes: sed nunc alia, et pejora

pejora fiunt, nam pulmones, mesenterium, artus, dorsum, et aliæ partes interiores, morbo magis afficiuntur: hinc hoc ferè tempore scrofulosi corripiuntur phthisi, mesentericâ tabe, artuum et lumborum abscessibus, variisque malis, vitam miserabilem trahentes.

Mala tam gravia, tam diversa, medicis, omni ætate, fuerunt opprobrium, et monitum, utpote quæ, quanta mala eâdem ex causâ oriantur, indicant; quorum sanandi rationem, nemo medicus hactenùs exploravit. Pro hujus morbi curatione, variæ rationes, et plurima medicamenta, a viris clarissimis, proposita sunt; quorum omnia, fatentibus medicis, qui ea maximè experti sunt, parùm vel nihil valent. Graviùs autem de hac re notandum est; etenim multa facillima dictu, factu difficillima sunt: idcirco imprimis, medicamenta quædam referam, et rationes, quibus hunc morbum maximè sanari fertur, mentionem faciam; nempè, Regis tactum, vel hominis in patibulo suspensi tactum; foliorum tussilaginis farfaræ decoctum, cinchonam

nam cum sodâ, aquam marinam, aëra maritimæ oræ, barytæ et calcis muriatem, ex antimonio, ferro et hydrargyro præparata, et aquas varias medicinales.

Meâ quidem sententiâ, actio abnormis in genere lymphatico, et glanduloso, morbi causa est; ad quam magna proclivitas a parentibus scrofulosis sæpè derivatur; quamvis, sine labe hæreditariâ, a variis causis accidere possit. Talis quoque proclivitas in corpore diu sæpè latet, antequam tumoribus, ulceribus, et aliis signis manifestis sese prodat. Quin et post alios morbos, veluti febres vel graves animi affectus, vel mutationes vitæ generis, aut cœli, aut etiam aquæ, actio ista scrofulosa, interdum incipit, interdum cessat.

Ergo sub mali initium ægri, vitæ genus, et victum, et potum, et locum, et cœlum plurimùm mutare debent, et simul, si opus sit, ab his medicamentis auxilium petere, quæ in corpore actionem insolitam movent; neque facilè

ſacilè enim hic morbus cùm inveteraverit, sanatur; ideòque primum ut morbi signum levissimum se ostendat, ægros, si in urbe degant, rusticari; ruri si ſuerint, urbem petere; si loco mediterraneo, maritimum; etiam navigare; si monte, vallem; si cœlo densiore, tenue; et vice versâ, oportet. Ad victum quoque, et potum, prospiciendum est; cibus esse debet ex validiori materiâ, interpositis temporibus exiguis, inter edendum, et parcè sumi; pro potu, aqua purissima, si febris non est, vino commista; si adstricta sit alvus, *phosphatis* vel *sulphatis sodæ* solutione pro re nata solvenda est.

Quod si malum ingravescit, et tumores in magnitudinem molestam augescant, emplastrum ex aceto scillæ, et gummi ammoniaco, tumoribus imponendum; aut omni nocte, hydrargyri unguenti grana aliquot infricanda. Tumores nunquam incidendi sunt, priusquam prorsùs fuerint suppurati; si ruptionis verò periculum est, apertura per cutem valdè obliqua, strumæ inferiore parte fiat, ut quæ in

eo continentur, emittantur; tunc apertura statim claudenda, et emplastrum adhæsivum imponendum, ut labia vulneris quàm citissimè conglutinentur: eodem tempore, *murias barytæ* vel calcis, aut decoctum cinchonæ cum soda, præsertìm si in ventriculo, aut intestinis, acidum suspicemur; et opium, hyoscyami nigri succum spissatum, nocte, ad somnum conciliandum, dare conveniet: et interdum fortassè alia medicamenta, ut conii maculati succum spissatum, tincturam digitalis, hydrargyrum, tussilaginis farfaræ decoctum; quibus ut suprà dictum permutationem maximam, subeant ægri; sunt enim non ex scriptis, verùm ex naturâ ipsa, et morborum indolis observatione, maximè discenda; et medendi ratio varia esse debet, secundum corporis vires, et constitutionem, et consuetudinem, quæ, in junioribus præsertim, multùm variant.

CAP.

CAP. IX.

DE RACHITIDE.

Alius morbus Rachitis est, quam etsi exeunte seculo decimo sexto, præcipuè in septentrionali Europâ primò apparuisse, dicatur; utcunque eo tempore pervulgatam, omninò tamen antiquis incognitam non existimo. Dicit enim Hippocrates: "In pueris ante "augmentum corporis, spina in gibbum at- "tollitur." Et alibi notavit, "Crura ema- "ciari, pectus in acutum tendere, difficulter "spiritum et cum sono trahere, et tubercula "cruda et dura circa pulmones aboriri *." Morbi omnigeni, cibi pravi, labes hæreditariæ, vel tarda alvus, vel nimis soluta, demùm quæcunque corpus infirmant, ad hunc morbum

* Hippocrates, Sect. iii. de Articul. et de Morb.

bum ferè ducunt. Ab mense nono ad annum secundum post partum, infantes hoc morbo implicari solent; facies plenior, flaccida, aliquando floridior, et caput justo majus fiunt; omnes carnosæ partes inferiores, emarcescunt; musculorum laxitas, mollities, torpor, ignavia, debilitas adsunt; abdomen inflatum et tumidum est; frons antrorsùm tumet; articuli et ossium fines tumescunt, ossa ipsa curtantur et incurvantur; thorax augustior a lateribus, et prominentius pectus fit; dentes pigrè et molestè veniunt, nigrescunt, putrescunt, exciduntque; interdum tussis, et febris lenis accedunt, denique summa corporis macies, et mira sæpè deformitas; animus interim et spiritus vigent. Chemici et medici hodierni conati sunt, morbi causam, et naturam detegere: Nonnulli causam esse putant, *acidi phosphorici* magnam copiam, quâ solutus *phosphas calcis*, per vesicam urinariam, et corporis alias vias, transit; idcirco mollescere ossa; alii in ventriculo lac, vel cibum, actione pravatâ, mutationem insolitam subire credunt, quâ *acidum oxalicum* producitur, deficiente

ficiente *phosphorico*, ut BONHOMEO visum est: CULLENUS et alii contendunt, malum potiùs oriri a defectu materiæ osseæ, vel calcariæ, in sanguine ipso: alii a vasorum lymphaticorum absorbentium actione auctâ, quâ materies calcaria abducitur, inde ossium mollities, ut HUNTERIO placuit.

Quanquam autem sententiæ diversæ sunt, de naturâ morbi explicandâ, neque nimis addictus ulli, nec ab omnibus abhorrens, litem dijudicandam aliis relinquo; attamen mihi verisimile videtur, morbum ab causis diversis inter se commistisque, sæpissimè nasci; quinetiam unicum penè medendi consilium esse, quod quidem usus tantùm comprobavit.

Prodest ferè pulveris rhei grana sex ad duodecim, cum grano uno, alterove, *submuriatis* hydrargyri conjunctis, quamprimùm dare; et si res urgeat, altero quoque mane, aut tertio, id repetere, et bis terve indies semidrachmam vini, in quo *ferrum*, ad saturandum, digestum fuit, ex aquæ cyatho. Cinchona,

chona, præparata ex cupro et zinco, et omnia hujusmodi, ut res postulet, danda sunt. Opus quoque erit multùm gestari, et cœlum vel locum saltem mutare, etiam in mare lavari; sed si locus non conveniat, et "res angustæ "domi premant," communi, aquæ dulcis satis erit, vel frigidario uti, vel huic admiscere pauxillum *muriatis sodæ*, et *sulphatis magnesiæ*, vel salis marini impurioris: fricationes quoque haud parùm prosunt.

Cibus esse debet satis nutriens, vel forsitan validior quàm infantibus dari solet; sed levis et concoctu facilis; partim ex carnibus assis, vel elixis, et jusculis, partim ex lacte, et pane, et variis frugibus benè coctis. Pauxillum vini, vel meri, vel aquâ mixti, infantibus concedendum est.

CAP.

CAP. X.

DE INTERTRIGINE.

Infantes ab urinæ et sudoris acritudine, intertriginibus, præcipuè inguinum, scroti, etiam inter plicas colli, et aliarum partium, obnoxii sunt; quæ partes, aquâ tepidâ, et lacte, sæpè in die lavari debent, et deinde amyli pulvere, vel cretæ præparatæ, commisto *carbonate zinci* impuri præparato, vel *oxido zinci* præparato, inspergi. Si verò exulcerationes adsunt, unguento vel acetitis plumbi cum camphora, vel *oxidi zinci* impuri, illinantur.

FINIS.